A

A
c
81

Pauli de Middelburgo - Parabole Christi de correctione calendarii
Pauli Germani de Middelburgo - Compendium correctionis calendarii
Breve d. n. Leonis X° pro correctionis calendarii
Pauli Germani de Middelburgo - Secundum compendium correctionis cal.
Pauli Germani de Midd - De numero atomorum. et
Altro esemplare
Pauli III° Bulla et
Joannis Fabri Germani Epistola et
Caroli Cappellii de iusta dei contra nos indignatione et ira.

1

Parabola Chꝛiſti de coꝛrectione calendarii:

¶ Ad ſanctiſſimum.D.N. Leonem decimũ Pauli de middelburgo dei & apoſtolicę ſedis gratia epiſcopi foroſemproniẽſis ſuper correctione calendarii parabola.

IEſus ſaluator noſter beatiſſime pater pręnoſcens omnia quę uentura erant in mũdo prędixit nonnulla diſcipulis ſuis in parabolis.qui reſpiciens ad mores hominum qui futuri erant in eccleſia militante propoſuit eis parabolam iſtam dicẽs. Simile factũ eſt regnũ cęloꝝ homini qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo. Cum autẽ dormirẽt homines uenit inimicus eius & ſupſeminauit zizania in medio tritici & abiit. Cum autẽ creuiſſet herba & fructum feciſſet tunc apparuerũt & zizania. Accedentes autẽ ſerui patriſfamilias dixerũt ei. domine nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo?unde ergo habet zizania? & ait illis: inimicus homo hoc fecit. ſerui autẽ dixerunt ei.uis imus & colligimus ea? & ait nõ.ne forte colligẽtes zizania eradicetis ſimul & triticũ ſinite utraq; creſcere uſq; ad meſſem: & in tẽpore meſſis dicã meſſoribus:colligite primum zizania & alligate ea in faſciculos ad cõburẽdum:triticũ autem cõgregate in horreũ meũ

& reliqua. Homo iste paterfamilias christus ē & sanctitas tua quę uices eius in terris gerit. bonum semen est fides catholica & sancta doctrina ad fidem pertinens. zizania sunt mala doctrina & mala opera fidem impedientia & destruentia. Ager est ecclesia dei sanguine christi exculta & irrigata. Homo ergo paterfamilias hoc est sanctitas tua seminauit in agro suo hoc est in ecclesia sua semen bonū ad rectā paschę celebrationē spectans: quia inuitauit omnes uiros doctos ut scriberēt in materia correctionis calendarii pro recta paschę celebratione. similiter inuitauit omnes reges & principes & uniuersitatū rectores ut uerā paschę rationem & calendarii correctionē a uiris doctis in eorum ditione uel regno existentibus perquirerēt: & opinionē eorum in scriptis ad sanctitatem tuam transmitterēt. quo factum est ut serenissimus romanorū rex Maximilianus semper augustus: catholicus rex hispanię, rex portugallię, rex polonię, & alii nōnulli principes & uniuersitatū rectores scripta doctorum uirorum & uniuersitatum ad sanctitatē tuam transmiserint: qui omnes in hoc cōuenerūt quod propter defectum calendarii canon paschę nō recte potest obseruari: & quod per sanctitatē tuā error iste calēdarii corrigi debeat. In eandem sententiā uenerūt omnes astrologi almę urbis qui superioribus

diebus a sanctitate tua uocati coram eadẽ & cętu reuerendissimorũ dominorũ cardinaliũ ad hoc deputatorũ uota sua deposuerũt: asserentes & decernẽtes omnino corrigẽdum esse calendarium. Dum autẽ dormirent hoĩes hoc est dum pigrescerẽt & tardi essent ad corrigẽdum errorem: superuenit inimicus in habitu doctoris parisiensis uolẽs impedire & corrumpere hoc semen bonũ: & superseminauit zizania in medio tritici: clamans nõ esse corrigendum calendarium: nõ esse tollendũ errorem: & tamẽ confessus est errorem esse manifestum immo notorium: sed dixit eũ potius esse tolerandũ quam tollendũ: sicut ecclesia tolerat prostibula & lupanaria. Pater sancte nõ debet ecclesia dei errore aliquo cõtaminari: quia oẽs uiri docti clamãt nullũ errorem in ecclesia dei tolerãdũ esse. sed ueritas semper tueri debet. etiam si ob ueritatẽ tuendam scandalũ sit oriturum: potius scandalũ nasci permittitur quã ueritas relinquatur. & melius est pro ueritate supplicium pati quã pro adulatione beneficium accipere. ad hoc enim christus saluator uenit in mundũ ut testimonium perhiberet ueritati. debet ergo defendi ueritas usq; ad animam & sanguinẽ etiam si mille pericula mille scandala imminerent. nõne propter ueritatem tuendam martyres omnes diuersa tormenta

palli mortē tandem obierunt? quippe martyrē
nō facit pęna sed causa: quia pro ueritate tuē/
da morit̃. quinimmo aristoteles primo ethico/
rū scripsit: pro ueritate tuenda etiam ꝓpria de
struere oportere. ꝗ si philosophi gētiles hoc te/
stātur quāto magis christiani (a christo qui ipsa
ueritas est appellati) hoc facere debeāt? quanto
magis ipsa ecclesia quę christo immediate co/
pulat̃ uerax esse debeat? & nullo mēdacio cōta
minari? est enim sponsa christi sine macula &
sine ruga. sine macula ignorantię & sine ruga
malitię. non ergo prostitui debet uel lupanari
cōparari. quinimmo si error aliquis in ecclesia
admissus fuerit peiore cōditione afficietur ec/
clesia quā ipsum prostibulū. quia iura & leges
prouiderūt ne in prostibulo uel lupanari er/
ror aliquis contingere possit: & errantes casti/
gare pręceperunt: non ergo debemus tolerare
in ecclesia dei quod in lupanari prohibitū est.
quod si non sunt corrigendi errores ut doctor
iste autumat: ergo oīa libita erunt licita. & ziza
nia & spinę suffocabunt triticū. Maximū pro/
fecto (ut aliacensis scripsit) dedecus est & op/
probriū quod in rebus ad dei cultum pertinē/
tibus artificiosius procedāt iudęi quā faciant
christiani: adeo quod cū daniele propheta di/
cere possimus confusio & opprobriū facti su/
mus oībus qui in circuitu nostro sunt. Per/

maximũ uero & perhorrendũ dedecus est fa/
teri errorẽ esse notorium & dicere eũ non esse
corrigendum. sed tolerandum esse sicut eccle/
sia tolerat prostibula & lupanaria. Debemus
ergo perseuerare in errore & oblectari eo sicut
sus gaudet in cęno uel aper lutulẽtus in uolu/
tabro & sicut meretrix in lupanari. Legimus
pythagorã democritũ platonẽ & alios multos
philosophos ad ęgyptios & persas accessisse ut
rerum ueritatem ab eis addiscerent. Legimus
apollonium illũ tyaneũ ad bragmanos & in/
dos & ad ęthiopes profectũ ut ueritatem quę/
reret & inuestigaret: de cuius uita & peregri/
natione philostratus octo libros conscripsit.
sed doctor iste assertus parisiensis neq; uillam
neq; domum egrediendã putat ut ueritas quę/
ratur & indagetur: quinimmo casũ inuentam
minime obseruandã asserit: sed in errore per/
seuerandum esse autumat. in quo auctor iste
qui se doctorẽ parisiẽsem esse gloriatur & iac/
tat aduersatur oĩbus aliis doctoribus parisiẽ/
sibus & uniuersis philosophis qui maximo la/
bore & fatigatione ueritatẽ semper indagare
conati sunt. oĩs nanq; scientia tendit ad uerita
tẽ tanquã ad ultimum finem & propriũ suum
obiectum quo perficitur intellectus: nã ut phi
losophi omnes testantur obiectũ intellectus
nostri est uerũ. nullus est animę suauior cibus

q̃ cognitio ueritatis. & ut lactantius scripsit ueritas est animę pabulũ incredibili quadã iucunditate perfusum: quamobrem philosophi magno studio eã indagarunt. unde uulgo dici solet ueritatẽ latere & abscionditã esse in puteo profundissimo neq; inde hauriri posse nisi maximo cũ labore. sed doctor iste etiã si casu pedẽ in ueritatẽ in terra iacentem impegerit & eã offenderit minime releuandã sed persundandã esse putat & in errore perseuerandũ esse autumat. huic doctori posset dici illud qđ Iacobus apostolus in sua canonica scripsit. ꝙ si zelum amarum habetis & contentiones sint in cordibus uestris nolite gloriari & mendaces esse aduersus ueritatẽ; non enim est ista sapientia de sursum descendẽs sed terrena animalis & diabolica. Legitur in secũdo libro esdrę capitulo quarto ueritatem pręcellere oĩa tam terrestria quã celestia. Omnis inquit terra ueritatem inuocat: & cęlum ipsam benedicit; & oĩa quę mouentur tremunt eã: & non est cũ ea quicquã iniquum & manet & inualescit in ęternũ. Hic autẽ doctor errorem & mendaciũ pręfert ueritati. & in errore etiam notorio perseuerandũ esse autumat. Dicit anselmus in libro de similitudinibus. magis pręeligenda est mors & annihilatio oĩum creaturarũ tam cęlestium q̃ terrestrium quam offensio ueritatis.

Nā ut legitur sapientię primo os quod mentitur occidit animā suā. dicente psalmista perdes oēs qui loquuntur mendaciū. quamobrē sanctus thomas & hēricus de gādauo in quotlibetis suis dicunt quod reus propter crimē cōmissum condēnandus admortē si a iudice fuerit interrogatus de crimine per eū cōmisso tenet̃ sub pęna peccati mortalis dicere ueritatē & fateri crimē cōmissum: & potius debet perdere seipsum quā dicere mendaciū & occidere animā. dicēte saluatore Mathei sextodecimo: quid prodest homini si uniuersum mundū lucretur animę uero suę detrimētum patiatur. aut qūā dabit homo cōmutationem pro anima sua? nā ut dicit augustinus super Ioannē magis eligendū est deo dilecto mori quā eo offenso uiuere. Debemus ergo sequi ueritatē & celebrare pascha iuxta patrum decreta. Nam omnes uiri docti qui scripserunt in hac materia unanimiter clamant corrigendū esse hunc errorem & nullo modo tolerandum esse immo ut Albertus magn⁹ & Nicolaus cusanus scripserūt inimici fidei gloriantur de hoc errore. quia ex eo nos in aliis quoq; pariformiter errare contendūt. & ut aliacensis scripsit ex tolerantia huius erroris hactenus facta philosophi infideles arabes hebręi & gręci qui habitāt īter christianos in hispania siue in egypto et alus

partibus orientis aut mundi regionibus deri/
dent christianorũ & maxime prelatorũ suorũ
ignorantiam & abhorrent stulticiam quã eui/
denter conspiciũt in hac ordinatione seu ue/
rius inordinatione temporum quibus utun/
tur in solennium obseruatione festorum. Hec
aliacensis. Idem apellat hunc errorẽ monstrũ
horribile & feram pessimã uineam domini de/
pascentem. Idẽ alio loco dicit hos errores esse
manifestos & palpabiles horribiliter scandali/
zantes ecclesiam. Nam cum sit error inquit in
fundamẽto scilicet in equinoctio & lunatio/
ne necesse est ut error sit in pasche celebratio/
ne: & per consequens quod quadragesima &
omnia festa mobilia uiolentur & a suo loco re
cedant. quia omnia huiusmodi festa cedũt pas
chati & ab eo regulantur. & cum omnia ista in
se sint horrenda tam respectu policie christia/
ne scandolosa tamq; stulta & irrisione digna:
quia propter ignorantiam uel negligentiã ista
corrigendi fit diabolo procurante quod ĩ tem
pore uero paschali christiani abstineant a car/
nibus & in uera quadragesima quandoq; car/
nes comedãt & alia multa incõueniẽtia sequũ/
tur sicut de septuagesima. & rogationibus &
aliis huiusmodi obseruantiis ecclesiasticis que
suis tẽporibus nõ seruãtur. & nõ solũ cõputiste
& astrologi sed oĩs homo qui nõ uult ceruicẽ

erigere ut cõtradicat ueritati ista manifeste co gnoscit. Hęc petrus aliacensis scripsit & impressa circunferuntur: quid ad hęc respõdes tu qui calendarii correctioné impedire conaris? es ne unus ex illis qui erigunt ceruices suas ad cõtradicendũ ueritati? immo solus es: quia omnes alii qui in hac materia scripserunt clamant errorem hunc corrigendũ & nullo modo tolerandũ esse. Quamobrem pater sancte quia hic testis unicus est & singularis nullũ habens contestem iure est repellendus. nõ obstãte ꝙ insolenter iactet se esse doctoré parisiensem quia alii doctores parisiẽses Albertus magnus Rogerius bachon Robertus linconiensis, Ioannes de muris Gerlandus lotharingus Petrus aliacẽsis Nicolaus cusanus & alii multi cõtrariũ scripserunt probantes erroré hunc ecclesie scandalosum esse: & nullo modo tolerandũ sed tollendum esse. Idé testãtur scripta aliarum uniuersitatum & doctorum uirorum per serenissimum romanorum regem Maximilianum & per alios reges & principes & uniuersitatum rectores ad sanctitaté tuam trãsmissa. qui omnes in hoc conueniunt ꝙ canon paschę hac tempestate nõ recte obseruatur. & ꝙ omnino per sanctitatem tuam uel per hoc sacrosanctũ lateranense concilium corrigi debeat. In hanc quoq; sentẽtiã uenerunt oẽs astrologi

almę urbis qui nuper coram sanctitate tua & reuerendissimis dominis cardinalibus ad hoc deputatis uocati uota sua deposuerunt. nõ est ergo auscultanda huius doctoris opinio dicẽtis errorẽ hunc in paschę celebratione manifestum immo notoriũ non esse corrigendũ: sed tolerandũ esse sicut ecclesia tolerat prostibula & lupanaria. neq; ualet hoc argumentũ a simili quia nulla est in his similitudo. nã ecclesia tolerat multa mala quę fiunt in mũdo quia prohibere ea nõ potest: sed error iste calẽdarii faciliter emendari potest. & ergo debet corrigi. immo argumentũ huius doctoris pręsupponit falsum: quia proprie loquendo non debemus dicere q ecclesia tolerat prostibula & lupanaria immo dãnat ea. ut habetur xxxii. q. iiii. c. meretrices & c. nemo. de quo Augustinus in quęstionibus deuteronomii meretrices esse & ad meretrices accedere prohibet dominus quarũ publice uenalis turpitudo est. sed leges humanę ciuiles & imperiales tolerant prostibula & lupanaria ad euitandũ adulteria. permittũt etiam homini soluto tenere mulierẽ solutam in concubinam ut in autẽtica quibus modis naturales efficiuntur legitimi. & C. de concubinis. l. una & de naturalibus liberis & matribus eorũ ex quibus causis iusti efficiantur. per totũ. & per ea que habẽtur & legunt in. l. si ea

& in.l. quę adulteriũ C.de adul. & in.l.fi.C. cõmu.de manu. & in .l. si ea.C.de.cõ. inser. quamobrẽ beatus Ambrosius in libro de patriarchis scripsit.nemo sibi blandiatur de legibus hominũ: supple quę fornicationes admittunt. quia quicquid in ea quę non sit legitima uxor cõmissum fuerit adulterii crimine dãnatur. distinguendũ est ergo de legibus & cõsuetudinibus: quia multa permittunẽ in lege humana quę dãnantur in lege euangelica. & ratio diuersitatis est: nã lex ciuilis uel humana instituta est ut homines habeant pacẽ inter se: sed lex diuina data est ut homines habeant pacem cũ deo. ut post hãc uitam frui possint uisione dei & uita ęterna.quamobrẽ lex diuina est perfectior lege humana. & multa prohibet quę in lege humana permittũtur.ut patet matthei quinto ubi per christũ dãnanẽ nõ solũ praui actus exteriores uerũ etiã malę cogitatiões criminanẽ. dicente Iesu. audistis quia dictũ est antiquis non mechaberis ego autẽ dico uobis quia oĩs qui uiderit mulierẽ ad cõcupiscendũ eã iam mechatus est eam in corde suo.immo duo ultima pręcepta decalogi uidelicet alterius nuptã nec rem cupies alienã sunt de iure diuino: sed lex ciuilis nõ habet ea.quia non punit maleficia cogitationis ff de pęnis.l. cogitationis. Lex autem diuina punit omne

peccatũ tam cogitationis q̃ facti. de pęni. d. pri
ma c omnis iniquitas & c nũquid & c homici
diũ & c si propterea & c si cui. Preterea lex ci-
uilis uel humana data est multitudini homi-
nũ in qua maior pars est imperfectorũ: & ideo
per eã nõ reprehendũtur omnia uitia a quibus
uirtuosi abstinent: sed solũ grauiora a quibus
possibile est maiorẽ partem multitudinis ab-
stinere: precipue quę sunt in dãnum ꝓximi: si
cut sunt homicidia furta & similia. quia lex
humana nõ respicit statum spiritualẽ a terre-
nis rebus & mũdi cupiditatibus subtractum:
sed ciuilem & politicũ duntanxat. quamobrẽ
non iudicat nisi de extrmsecis & manifestis &
multa permittit pro conseruatione reipublicę
quę in foro conscientię non essent admitten-
da. sed quia lex diuina principaliter intendit
ut anima conseruet illesa etiam cum dãno re-
rũ temporaliũ: ideo multa prohibentur in le-
ge diuina quę a lege humana tolerãtur. immo
lex diuina ꝓhibet prostibula & lupanaria sub
pęna peccati mortalis: & tamẽ lex humana to-
lerat ea. quamobrẽ Iacobus apostolus in sua
canonica dixit quicũq; uoluerit amicus esse
seculi huius inimicus dei constituitur. sicq; nõ
ualet argumentũ dicti doctoris immo pręsup-
ponit falsum inferens ecclesiã debere tolerare
errorẽ in pasche celebratione sicut tolerat pro-

stibula & lupanaria. ego e cõtrario syllogizãdo sic inferam ecclesia non tolerat prostibula & lupanaria: neq; tolerat errores in eis cõmissos sed errãtes punit atq; castigat: ergo nullo modo debet tolerare errorẽ in pasche celebratione: qui error non solũ contaminaret prostibula & lupanaria: uerũ etiã in oẽs christianos se diffunderet. quia ergo lex diuina est perfectorũ & eorum qui pacem cum deo desiderãt: maxime a sanctitate tua & lateranẽsi cõcilio obseruari debet posthabita lege humana que errores aliquos tolerat & permittit. est enim hec sacra synodus uniuersalẽ ecclesiam representans ex perfectissimis & doctissimis uiris ex omni natione electis constituta & integrata. summopere ergo conari debet ut paschalis celebritatis canon inuiolabiliter obseruetur. nã ut superius ostẽdimus ecclesia que est spõsa christi debet esse mũda & pura sine macula & sine ruga dicente scriptura tota pulchra es amica mea & macula nõ est in te. & ideo nõ cadit ĩ ea error aliquis. quinimmo conari debemus nõ solũ ut ecclesia ab oĩ errore sit libera uerũ etiã ut ab oĩ suspitiõe erroris sit secura: sicut a cesare dictatore de uxore repudiata dictũ legitur: qui cũ a nõnullis reprehẽderetur q͞ uxorẽ suã pudicã repudiasset: respõdit non satis esse uxorẽ esse pudicã: sed oportere etiã eã ab omni

suspitione esse liberã & alienã. Cũ ergo eccle/
sia sit sponsa christi decet maxime eã non solũ
non errare ue℞ etiam ab omni suspitione er/
roris & ab omni calũnia esse liberã. & non so/
lũ ipsam sponsam: ue℞ etiã ipsos sacerdotes &
sponsę ministros ab omni suspitione erroris
& ab omni calũnia decet esse securos. Maxi/
me quãdo agitur de his quę cadũt sub sensu.
Nã quilibet in cęlũ suspiciens & lunã intuẽs
facile potest discernere si luna est prima uel
quinta. nescio profecto quid respondere pos/
sem iudęo dicenti lunã esse quintã in cęlo q̃n/
do in ecclesia denũciatur prima si in cęlo ocu/
lis etiã uetula℞ quinta appareat. Scripsit bea/
tus Augustinus computũ ętatis lunę esse ne/
cessariũ sacerdoti. ut autẽ nemo unq̃ ignora/
ret ętatẽ lune statuerũt patres ꝙ singulis die/
bus antequam legat̃ pręciosa in cõspectu do/
mini sacerdos debeat denũciare populo ętatẽ
lunę. cũ ergo sacrista uolens obedire pręceptis
ecclesię pronũciauerit ętatẽ lunę & dixerit po/
pulo circũstanti hodie luna est prima: quid di
cet uetula assistẽs? mentiris hodie est q̄nta: uidi
eã in cęlo quintam. utinã reuiuisceret beatus
Augustinus & audiret hũc assertũ doctorẽ pa/
risiẽsem denũciare lunã esse primã q̃ndo in cę/
lo est q̄nta: quid putas eũ facturũ? certe acriter
eũ reprehẽderet & castigaret. quia nõ est dignus

ſacerdotio qui ętatē lunę ignorat. poſſet huic doctori applicari quod deus per oſee prophetā capitulo quarto dixit. conticuit populus meus eo q᷑ non habuerit ſcientiam. quia tu ſciētiā reppuliſti repellā te ne ſacerdotio fungaris mihi. q᷑ ſi hic error modicus eſſet: poſſet fortaſſe tolerari ſed iam adeo creuit ut etiam muliercula non lateat. contingit enim ſępenumero paſcha ad triginta quinq̃ dies ultra legitimū terminū prorogari: & luna uigeſima quīta nonnunquā uigeſimaſexta contra decreta patrum celebrari: & in ſecundo menſe (numeri nono) inmundis deputato obſeruari. non eſt ergo differēda huius erroris correctio: nā princeps qui non corrigit errorē uidetur approbare eum. & ut uulgo dici ſolet humanū eſt errare ſed diabolicum eſt in errore perſeuerare. adeo enim hic error ſenſim & paulatim creuit ut iam intolerabilis factus ſit. Huius autē erroris correctio ſpectat ad ſanctitatem tuā non ſolū ex poteſtate ſumma & auctoritate a chriſto ſaluatore accepta qua fungeris ī chriſtiana religione: uerum etiā ex decreto priſci ſenatus popnliq̃ romani. quemadmodū in maiori noſtro uolumine abunde oſtendimus. Vt autem concludamus parabolā chriſti de zizaniis propoſitā: redeundū eſt ad dictum aſſertū doctorē pariſienſem qui ut zizania quę ſeminauerat

magis multiplicaret & germinare faceret: rore parisiensi ea irrigauit: & libellum & de nō mutādo (ut inquit) paschate sub titulo doctoris parisiensis edidit: quem cum perlegissem nihil in eo de paschę ratione quod ex officina eius prodiisset inueni: sed pauca duntaxat ex libris meis excerpta in mediū fuerunt adducta: reliqua uero omnia huic materię erant impertinētia. Nā undecim prima eius capitula que appellat fundamenta ex scriptis Ioannis de hassia & Ioannis pici mirandulani eius sectatoris extracta nihil de pascha definiunt sed execrationes & maledicta duntaxat in astrologos uates ingerunt: & quę picus eleganter ac luculēter elucubrauit: doctor iste quasi ex luto sumptā lutulenter & inepte singultire uidetur. Et quia hęc eius scripta nihil afferunt, nihil conducunt ad rectam paschę celebrationē uel paschalis canonis immutationem quam pro titulo libelli sui assumpsit: satis cōstat eum nō sincero animo sed liuore & rancore percitū hęc scripsisse. neq; enim saturnię illę reuolutiones quas inducit: neq; martis influxus: neq; ueneris radiatio: neq; mercurii perplexus mot⁹ pascha mutare possunt: sed ut prisci patres tradiderunt sola luna q̃rtadecima primi mēsis ad rectam paschę celebrationem obseruanda est: ob misteria sacramenti alibi a nobis exposita.

neq; titulus libelli ei⁹ de nō mutādo ut īquit
paschate cōueniēs est materię propositę: quia
nullus doctoꝝ uiroꝝ (ꝙ ego sciā) unq̄ scripsit
pascha mutandū esse: sed desiderāt ꝙ paschę ca
nō obseruetur & ꝙ pascha iuxta patrū decreta
celebreť. quia nō est error ī canone paschę sed
in modo quęrēdi uel indagādi pascha. qui or/
tus est ex decursu tēporis & negligentia nostra
& errore calēdarii. quia ī eo nō ad amussim an/
notať ęquinoctiū & quartadecima luna pascha
lis licet a patribus nicęnę synodi recte fuerint
posita. quamobrē nihil ei respondendū puta/
ui: quia nihil ad paschę rationē scripta eius cō
ducūt: sed execrationes duntaxat & maledic/
ta in astrologos uates ingerunt. nec mea iter/
est aliqd de his scribere: quia tuebūtur astro/
logi (si uelint) partes suas: neq; indigent in hoc
meo patrocinio: nā philosophos oēs scientię
suę adstipulatores habēt. quinimo nō solum
philosophos sed & theologos sūmos Alber/
tū magnū & sanctū Thomā ac hēricum de me
chilinia magnos ei⁹ discipulos tutores & patro
nos habēt. ꝙ si auctor iste q se parisiēsem docto
rē esse gloriať & iactat: legisset unq̄ scripta alio
rū doctoꝝ parisiensium: utputa Ioānis scoti
doctoris subtilis & bonauenturę ī secūdo sen/
tenciarum uel sancti Thomę cōtra gētiles hē/
rici de gandauo & aliorū parisiensiū doctorū

scripta inuestigasset nunquam tã temere hęc effudisset: Nã omnes isti influxũ stellarum in hęc inferiora demonstrantes magnifaciunt influẽtiam ipsarum asserentes per influxum stellarum non solum immutari corpora humana uerum etiã animam per accidens & ex indirecto alterari. quia anima licet ipsa sit incorporea: tamẽ non potest operari neq; sentire neq; intelligere sine organis corporeis. est enim necesse intelligentẽ fantasmata speculari. sed quia hęc abunde tractantur a philosophis atq; theologis non putaui operęprecium respõdere ei uel scripta eius coarguere sed monui eũ ut doctores istos parisiẽses & alios qui in materia correctionis calendarii scripserunt legeret: & resipiscẽs de male dictis & scriptis pęniteret. Nũc uero quoniã animaduerti eũ in malo proposito perseuerare & in deterius semper labi: nam nuperrime alium libellũ de non mutando (ut inquit) paschate scripsit contra propositiones in materia calendarii nuper impressas: & quia monitiobus meis parere nõ curat: uolui iuxta euangelicam doctrinam denunciare hęc ecclesię & sanctitati tuę quę in ea pręsidet: ut iuxta mandatum christi saluatoris in parabola iam assumpta pręcipias messoribus ut colligãt primum zizania & alligata in fasciculos comburent ea in deputationibus proxime futuris.

Triticũ uero cõgregent & reponãt in hor-
reum tuum: ut habitis aliorum prçlatorum &
principum reſpõſis iuxta tuas admonitiones
hoc opus ſanctum & ab omnibus (uno ſolo
excepto) deſideratum: concludi & bono fine
terminari deo fauente poſſit. ut ſecundum le-
gem diuinam uiuentes & paſcha ſanctũ iuxta
patrum decreta celebrantes pacem cum deo
habeamus. Valeat ſanctitas tua cui me humil-
lime commendo.

¶ FINIS.

¶ Impreſſum per Octauiãnum petru-
tiũ habita licẽtia a deputatis iuxta
decretum lateranenſis conci-
lii. Die uigeſima No-
uembris.
M. D. XVI.